

cundo voluntatis. Præterea esse non potest ipsemet actus secundus ut prius factus a solo Deo, tum quia ostendimus in illo actu non esse plures actiones, unam solius Dei, et aliam voluntatis simul et Dei; tum etiam quia id repugnat actui vitali; tum præterea quia voluntas non faceret suum actum eliciendo et educendo illum de non esse ad esse, sed actum jam a Deo factum quasi jam foveret et conservaret, seu actum ageret; tum denique quia inde evidentius sequitur necessitas absoluta voluntatis, quam ex impressione auxilii in actu primo physice prædeterminantis, quia illa actio solius Dei esset suppositio simpliciter antecedens, et ex illa inevitabiliter sequeretur consensus, seu illa secunda efficientia voluntatis. Superest ergo ut illa determinatio, ut est aliquid inhærens voluntati, necessario ponenda sit in aliquo auxilio simultaneo talis naturæ et conditionis, ut non subsit dominio et libero usui voluntatis; ergo tale auxilium non potest distingui a simili auxilio necessitante, seu non potest in eodem distingui ratio prædeterminandi, et ratio necessitandi.

13. Prima ex his duabus illationibus apertissime probatur ex dictis hic et in dicto prolegomeno primo, quia si illud auxilium, secundum se spectatum, subesset dominio voluntatis, non obstante quacumque determinatione interna divinæ voluntatis dandi voluntati humanæ tale auxilium, posset voluntas humana, etiam posita illa hypothese, non se inclinare, sed suspendere suum influxum, et consequenter posset actus non sequi, nec auxilium illud ad extra poni, quod repugnat efficaciam divinæ voluntatis. Sequela patet, quia nullo alio modo influxus volitus vel oblati ex parte Dei, subest dominio voluntatis hominis, nisi quatenus, non obstante illa voluntate Dei, in voluntate hominis manet potestas ad suspendendum suum influxum. Repugnat ergo Deum, ex absoluta efficacia sua, velle ita coagere cum voluntate hominis, ut omnino infallibiliter cooperetur, nisi talem modum concursus illi præstando, respectu cuius non habeat voluntas creata potestatem sustinendi suum influxum, seu detinendi, ut sic dicam, cooperationem suam, et hoc ipsum est tale auxilium non subdi potestati voluntatis.

14. Hæc autem est necessitas absoluta respectu voluntatis, et consequenter repugnat libertati actus. Primo, quia illa impressio eminenti quodam modo incipit antecedenter a Deo respectu humanæ voluntatis, et hæc non potest illi resistere, nec suum influxum sustinere,

ut declaratum est. Secundo, quia libertas quoad exercitium posita est in potestate suspendendi actum, vel per positivum actum nollendi agere, vel per negativam suspensionem interpretative voluntariam; ita ut hæc potestas intelligatur manere etiam post oblatum concursum ex parte Dei. At in eo casu talis potestas non relinquatur voluntati, ut satis declaravi; ergo nec relinquatur libertas quoad exercitium. Major quoad priorem partem ex terminis nota est; quoad posteriorem autem, scilicet, quod illa potestas manere debeat etiam ex suppositione concursus oblatis ex parte Dei, patet, quia debet esse potestas proxima qualis requiritur ad usum libertatis, et non est potestas proxima donec habeat paratum concursum ex parte Dei; nam si prius natura consideretur voluntas, non habebit potestatem suspendendi actum morali modo, sed habebit impotentiam ad habendum illum; ergo si talis offertur concursus voluntati, quo oblato non est in potestate ejus suspendere suum influxum, non libere, sed ex necessitate simpliciter suum præbet concursum. Denique isto modo explicuimus, in dicto prolegomeno 1, vim divinæ voluntatis ad inferendam immediate per seipsam absolutam necessitatem voluntati humanæ, nec cum minori necessitate intelligi potest concursus simultaneus datus voluntati humanæ, cum quo illa omnino determinetur, ita ut non valeat jam suum influxum suspendere; ergo non potest in re distingui talis determinatio a necessitate, nedum ab illa separari.

15. *Probatur tertio.* — Tertio, idem probamus ex comparatione hujus determinationis ad alteram, quæ fit per impressionem actus primi physice determinantis; nam de hac ostendimus, si in actu primo præcedat, non posse relinquere libertatem quoad exercitium in actu secundo, in quo Theologi cum quibus nunc disputamus nobiscum consentiunt; ergo idem dicendum est de hac prædeterminatione in actu secundo. Probatur consequentia, quia hi duo modi prædeterminandi conveniunt, in hoc quod in utroque habet voluntas humana quamdam necessitatem eliciendi aliquem actum, provenientem ab aliquo principio extrinseco antecedente, cui ipsa non potest resistere, vel non cooperari illi; solumque in hoc differunt, quod in priori principium proximum actus secundi, a quo provenit determinatio illa repugnans libertati, præcedat natura in voluntate, inhærendo illi; in hoc vero secundo modo principium proxime determi-

nans humanam voluntatem ad actum secundum, non præcedit inhærendo voluntati, sed quasi intime assistendo, est enim increata virtus divini decreti intime assistentis voluntati ad prædeterminandam illam in suo actu. Hæc autem differentia respectu necessitatis illatae voluntati quasi materialis est, et modum necessitatis non mutat neque minuit; ergo si una determinatio est contraria libertati, etiam altera. Minor declaratur et probatur, quia præmotio inhærens voluntati, illamque in actu primo determinans, non alia ratione tollit libertatem in actu secundo, nisi quia in influxu quem præbet in actu secundo non subditur potestati voluntatis, sed potius subjicit sibi, ita ut considerando constitutum illud ex voluntate, et tali præmotione, licet actio ab illo composito simul et adæquate procedat, nihilominus, comparando inter se illa duo principia, præmotio est quodam modo prior comparatione voluntatis, et illam secum inevitabiliter ducit: sicut e contrario, quando voluntas operatur per habitum infusum, licet actio adæquate et simul procedat ab illo constituto ex potentia et habitu, tamen comparando inter se illa duo principia, voluntas est prior, et quasi utitur habitu, qui in agendo illam inevitabiliter comitatur, et hinc fit ut hæc motio sit libera, illa vero necessaria. At vero quod præmotio facit cum inhærentia, decretum Dei fortius et efficacius facit sine inhærentia; conjungitur enim voluntati hominis, et ex utroque consurgit unum adæquatum principium proximum talis actionis, in quo principio, comparando divinam voluntatem ad humanam, divina est prior, et ab illa eminenti quodam modo incipit actio per talem influxum, cui voluntas humana non potest resistere, nec suum influxum continere, ut illi non cooperetur. Denique voluntas divina tunc utitur humana, modo quodam inevitabili ipsi voluntati humanæ; ergo est eadem vel major necessitas, quia hæc necessitas non consistit in inhærentia, sed in illo modo trahendi voluntatem inevitabiliter ad consensum: vel certe sicut in priori modo dicitur voluntas prædeterminata in actu primo per entitatem auxilii, ita in hoc posteriori dici potest eminenti modo prædeterminata in actu primo, per omnipotentiam et voluntatem Dei absolutam assistentem illi, ad utendum illa ad talem modum agendi, qui ejus indifferenti potestati non subdetur. Est ergo hæc vera necessitas libertati contraria; quod magis respondendo ad motiva contrariæ sententiæ constabit.

16. *Respondetur ad primum.* — Ad primum, respondemus ad omnipotentiam Dei pertinere ut possit hominis voluntatem trahere et movere quo voluerit, omnibus modis simplicibus, ut ita dicam, id est, non includentibus simul repugnantes et contradictorias condiciones. Et hoc modo merito docet D. Thomas ad omnipotentiam Dei pertinere, ut faciat voluntatem operari, non solum substantiam actus, sed etiam modum libertatis ejus. Ad eandem vero potentiam quæ sapienter omnia operatur, pertinet ut cum vult hominem libere operari, applicet media consentanea, et non repugnantia libertati operationis; modus autem determinandi voluntatem per solam efficaciam omnipotentiam suam, non est accommodatus libertati operationis, sed illi repugnans, ut ostensum est; et ideo si Deus velit ut illo modo, etiam ille cadet sub omnipotentiam suam, tamen eo ipso vult ut humana voluntas ex necessitate operetur, non libere, quia vult ut operetur ex necessitate immissa a causa primaria, quæ est necessitas repugnans libertati.

17. Et sic etiam verissimum est quod ait Augustinus, voluntatem hominis non posse impedire ut non fiat quod Deus absolute vult hominem velle. Sed oportet discernere quid, et quomodo velit Deus, ut judicetur qualis sit etiam impotentia ex parte hominis, et an necessitas inferatur contraria libertati, necne. Nam si Deus antecedenter et ex se efficaciter et absolute vult hominem velle, et id operari per absolutam efficaciam omnipotentiam suam, tunc non potest velle ut homo libere velit, quia non potest velle contraria. Unde tunc homo inevitabiliter id vult, tamen ex necessitate absoluta vult, et non libere, quia, ex impotentia intrinseca et antecedente (ut ita dicam), non potest impedire quin fiat quod vult Omnipotens. Si autem Deus simul absolute velit hominem velle et libere velle, jam non id vult fieri ex sola efficacia omnipotentiam suam, nec vult per hoc ipsum determinare voluntatem hominis, sed intendit, aliis modis contentis in thesauris sapientiæ suæ et potentiam, illam inducere ut velit, et tunc etiam homo infallibiliter vult quod Deus vult, et non poterit impedire voluntatem absolutam Dei; nihilominus tamen libere vult, quia non ex antecedente prædeterminatione efficaci, sed alio modo accommodato libertati inducetur, qui modus non ex sola omnipotentia, sed etiam ex præscientia aliqua habebit infallibilitatem, et ita illa necessitas non erit an-

tecedens, sed consequens, ut in sequentibus explicabimus.

18. *Ad secundum et ad replicam.* — Ad secundum recte ibi responsum est, ut ex proxime dictis constat. Ad replicam autem ibi factam, imprimis dicimus, quod in ea supponitur, ita esse impossibile, ut nunquam contingat. Unde Augustinus, quæst. 2 ad Simplicianum, ad omnipotentiam et omniscientiam Dei pertinere credit, ut non desit illi modus ita vocandi hominem, ut infallibiliter velit quod Deus voluit eum velle, non ex prædeterminatione, sed ex congruitate vocationis. Sic enim ibi pro illis omnibus qui ita vocantur ut non consentiant, hanc generalem regulam statuit: *Si vellet Deus illorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur.* Et pro aliis contrariam ponit regulam: *Cujus miseretur sic eum vocat, sicut scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Unde subdit inferius: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, et alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret in qua Jacob justificatus est?* Ubi pondero non dixisse Augustinum non defuisse Deo modum quo voluntatem Esau ipse determinaret, sed quo ita vocaret Esau, ut ipsemet Esau mentem suam applicaret, voluntatemque conjungeret; loquitur ergo de modo vocationis congruo ei qui vocatur, et a Deo præscito; et de hoc interrogat Augustinus: *Quis audeat dicere Deo defuisse?* Sentiens nullo modo admittendum esse casum in quo impossibilis sit Deo talis vocatio. Et ratio est, quia, licet quælibet vocatio singularis et determinata non habeat de se infallibilem, sed contingentem effectum, nihilominus cum Deus infinitis modis possit vocare, confuse et indeterminatè loquendo, impossibile est non esse aliquam vocationem habituram effectum, quam Deus pro infinita scientia distincte et in particulari novit, et pro sua omnipotentia facere potest.

19. *Instantiæ occurritur.* — Deinde vero si arguens urgeat ut casum admittamus, illo posito, respondemus in eo nihil aliud supponi, nisi dari voluntatem hominis ita dispositam, vel affectam in aliquo casu, ut consensura non sit, quocumque modo alliciatur, vel attrahatur, donec necessitetur; perinde enim est dicere non esse consensuram, nisi per effica-

ciam extrinsecam Dei determinetur, quod arguens supponit, et dicere non esse consensuram, nisi necessitetur, nam, ut probavi, illa duo idem sunt. Sicut ergo arguens dicit, ex illa hypothesi, Deum non posse absolute velle ut ille homo consentiat, nisi volendo etiam prædeterminare physice ejus voluntatem ex parte ipsius, præter omnem motionem moralem, ita nos dicimus non posse Deum tunc velle absolute, ut homo ille consentiat, nisi volendo ut saltem necessario velit, cum præsciat nullo modo esse libere voliturum.

20. *Respondetur ad tertium.* — Ad tertium, jam ostensum est in eo genere determinationis involvi repugnantiam cum libertate. Prima vero probatio, contra hoc inducta, non est solida, quia, licet hæc determinatio fiat per ipsammet operationem, quæ simul a voluntate hominis fit, includere potest necessitatem contrariam libertati; nam etiam quando Deus necessitat voluntatem, concurrat voluntas ad ipsam actionem necessariam, et nihilominus actio non est libera, quia ad illammet necessitatur a Deo; et actus gratiæ necessitantis sunt necessarii, licet sint effective a voluntate. Sed oportet ut fiat cum potestate non agendi, et hanc non habet voluntas, si a Deo efficienter determinatur ab extrinseco, ut declaravi. Unde, cum ibidem dicitur hæc necessitas non esse antecedens, sed consequens ad liberam cooperationem voluntatis, respondemus falsum supponi, tum quia ibi non est cooperatio libera, tum etiam quia illa necessitas, quatenus oritur ex decreto Dei absoluto, simpliciter et per se spectata, est antecedens et repugnans libertati, ut declaravi. Altera vero probatio, quia hæc necessitas eadem reperitur in omnibus actibus voluntatis, facile retorquetur contra argumentum, quia eadem ratione sequeretur eandem determinationem inveniri in omnibus actibus voluntatis, quod ipse non concedit. Cum ergo determinatio intelligi non possit sine aliqua necessitate, et non in omnibus actibus voluntatis inveniatur determinatio, licet in omnibus sit illa necessitas composita, quæ ex suppositione liberæ cooperationis resultat, quæ est illa qua res, cum est, necessario est, signum evidens est determinationem, quam ipse admittit in quibusdam actibus, et non in omnibus, non includere solam illam necessitatem, sed etiam antecedentem, per quam fit ut liberum arbitrium, non libere, sed ex necessitate cooperetur influxui voluntatis Dei; et hanc dicimus esse necessitatem simpliciter libertati repugnantem. Ad confir-

mationem, nemo est qui neget, Deum posse præbere inclinationes elicatas voluntati, imo nunquam in illa fiunt, quin Deus illas faciat. Quod solum docet D. Thomas in locis citatis. Unde etiam verissimum est voluntates humanas subesse divinæ quoad inclinationes elicatas, tam liberam quam necessarias; discernere tamen oportet modum talis subordinationis et subjectionis. Non enim spectat ad Deum, eo quod sit primus auctor naturæ, ut, necessitando voluntatem, efficiat in illa elicitam inclinationem liberam; sed modus faciendi illam est duplex, moralis per præmotionem excitantem, et physicus per influxum simultaneum, qui subsit potestati voluntatis, non vero physice prædeterminando: nam, licet Deus hoc etiam possit facere ut auctor voluntatis, faciet tamen necessitando, ut declaravi.

21. *Deus, secundum legem ordinariam, non convertit ad se voluntates hominum determinando illas, etiam in conversionibus mirabilioribus.* — Ex quibus tandem concludo, secundum legem ordinariam Deum non convertere ad se voluntates hominum determinando illas, etiam in conversionibus mirabilioribus, ut Pauli, et similibus. Hoc probamus primo, quia Deus, secundum legem ordinariam, non necessitat voluntatem humanam ad hos actus; sed determinare illam hoc modo esset necessitare illam; ergo non determinat. Secundo, quia nulla est necessitas talis prædeterminationis, vel ut conversio sit certa et infallibilis, vel ut sit subitanea et mirabilis: nam juxta generalem regulam ex Augustino allegatam, ad hoc sufficit vocatio congrua. Unde de ipsa conversione Pauli docet Augustinus, de Grat. et liber. arbitr., cap. 5, ita fuisse factam, et in sequenti capite et aliis subsequentibus, id fiet evidentius; ergo illa determinatio necessaria non est propter moralem et communem usum divinæ gratiæ. Unde neque habet congruitatem ad ostensionem potentiæ et virtutis Dei in subitis et miraculosis conversionibus, ut latronis, vel Magorum; tum quia ex visibili effectu nunquam potest constare quod fiat ex tali determinatione Dei, quia alius modus semper est possibilis; tum etiam quia multo magis ostenditur sapientia Dei, et virtus gratiæ ejus, ita operando efficaciter talem effectum, ut semper relinquat humanæ voluntati suam determinationem omnino liberam, cum sola cooperatione divina physica, simultanea et concomitante, ut potestati ejusdem voluntatis subjecta. Unde sancti Patres, de latrone, Magis, Matthæo et similibus loquentes, nul-

lam mentionem faciunt talis determinationis, sed internæ gratiæ inspirantis, illuminantis, etc., ut in sequentibus videbimus.

22. *Instantiæ de actione scribendi canonicam scripturam.* — *De locutione prophetica.* — Sed instat ille auctor, quia actio scribendi canonicam scripturam talis est, ut sine illa prædeterminatione physica fieri non videatur, quia scriptor canonicus movetur ad scribendum a Spiritu Sancto, dictante non solum sensum, sed etiam singula verba et singulorum ordinem, quod neque facile, neque sine fictione tribui potest morali persuasioni, et non potius physice prædeterminationi. Similis actio dicitur esse locutio prophetica Spiritus Sancti, juxta illud Psalm. 44: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Et nihilominus negari non potest quin sit actio libera, alias incideretur in errorem Montani, qui dixit Prophetas locutos esse tanquam arreptitios.

23. *Occurritur.* — Sed frustra excogitata est necessitas determinationis physice in his actionibus, quatenus ad voluntatem pertinent. Quia quidquid in eis necessario fit ex determinatione Spiritus Sancti, potissimum fit in intellectu; quæ autem pertinent ad voluntatem, sine tali determinatione fiunt. In his ergo hominibus primo spectari potest id quod interiorius ab Spiritu Sancto accipiunt, in quo primum est illustratio intellectus quoad revelationem occultæ veritatis ex parte objecti positæ, et hæc cum ordinarie antecedit voluntatem, non est libera, sed est ad modum gratiæ excitantis quam Spiritus Sanctus in nobis sine nobis inchoat. Quod si contingat prophetam prius exoptare aut petere, vel se aliquo modo libere præparare ad talem illustrationem recipiendam, id quidem faciet sua voluntate libera, non physice prædeterminata a Deo, sed inspiratione aliqua mota, ut, verbi gratia, quando Elisæus petiit psalterium qui mentem ejus excitaret, et similibus. Nulla est enim ratio fingendi ibi determinationem, magis quam in aliis actibus religionis, orationis aut fidei.

24. Deinde post revelationem objectivam reperitur in propheta iudicium quo veritati revelatæ et revelationi, tanquam a Deo factæ, assentitur; et tunc, si revelatio sit evidens, per illam determinatur et necessitatur intellectus ad assensum veritatis revelatæ. Unde ibi non est necessaria determinatio voluntatis ad tale iudicium, quia neque actus ejus necessarius est, nec concurrat causaliter ad tale iudicium. Quod si is, qui recipit revelationem, per

modum complacentiæ velit veritatem illam amare, aut in ejus assensum consentire, id omnino libere et sine ulla prævia determinatione physica facere poterit. Si vero revelatio sit obscura, tunc in substantia non excedit rationem fidei, et ideo ad assensum necessaria erit motio libera voluntatis. Verumtamen, sicut in aliis vocationibus ad fidem, voluntas credendi ordinarie non habetur per physicam determinationem, sed per vocationem congruam, ut ille auctor admittit, ita in propheta voluntas assentiendi revelatis per inspirationem congruam et opportunam optime fiet; ergo etiam ex hac parte necessaria non est prædeterminatio physica ad prophetiam cognitionem, magis quam ad cæteros supernaturalis actus.

25. Secundo, considerari potest in propheta exterior locutio, seu prædicatio prophetiæ, ad quam imprimis requiritur voluntas libera loquendi, et annuntiandi revelationem sibi factam, vel doctrinam revelatam, nam sine ulla dubitatione ita loquebantur prophetae, plena libertate, et cum magno merito. Loquebantur autem moti a Spiritu Sancto, qui eis voluntatem loquendi inspirabat, et quando ad hoc munus illos efficaciter eligebat, congrue etiam inspirabat eis talem voluntatem, ita ut infalibiliter eam haberent, et in ea perseverarent, quamdiu et quomodo Deus volebat; ergo neque ad hanc voluntatem erat necessaria prædeterminatio, sed ordinarius modus inspirandi et vocandi congrue sufficiebat; post voluntatem autem necessaria etiam erat gratia et directio Spiritus Sancti, vel ad loquendum sine errore, et sine additione aliqua vel diminutione eorum quæ Deus revelaverat, et annuntiari volebat, vel ad loquendum conceptis verbis tali ordine et modo dictatis a Spiritu Sancto. Verumtamen, licet ad hoc esset necessaria specialis directio Spiritus Sancti, non tamen erat necessarium novum auxilium, ex parte voluntatis, sed ex parte intellectus, quia per actum explicatum jam sufficienter erat voluntas determinata ad movendam linguam, ut proferret quicquid Spiritus Sanctus menti dictaret: postea ergo solum necessarium erat ut Spiritus Sanctus dictaret et offerret verba et seriem eorum, et hoc modo linguam dirigeret; ergo neque ex hac parte erat necessaria prædeterminatio physica ex parte voluntatis ad actum liberum, sed solum erat necessaria determinatio ex parte materiæ, seu subjecti, quæ potest dici quoad specificationem, non vero quoad exercitium actus eliciti a voluntate, de

quo tractamus. Qui modus determinationis etiam inter homines suo modo reperitur. Nam cum amanuensis scribit quæ ego dicto, libere omnino scribit, et ad id ipse se determinat, non ego determino illum, saltem physice, licet rogando vel præcipiendo possim illum moraliter movere, et nihilominus ex parte materiæ et objecti, determino quoad specificationem scriptionem ejus, ut talia verba et tali ordine scribat. Ad hunc modum cum majori tamen excellentia determinat Deus locutionem Prophetæ, efficaciter proponendo illi talia verba, et non permittendo ut illi alia occurrant, nec aliquod impedimentum, quominus integre et perfecte illa concipiat et exprimat, ei occurrat. Quæ quidem respectu intellectus et linguæ quædam necessitas est, respectu autem voluntatis nulla est, nisi quoad quamdam determinationem et specificationem. Nam quoad exercitium, jam supponitur in voluntate determinatio libera prophetandi exterius, neque novum actum elicit ad quem determinatione quoad exercitium indigeat, et, ad perseverandum in eadem voluntate, perseverantia prioris vocationis et inspirationis sufficit.

26. Secundo, quomodo intelligenda verba illa: *Lingua mea calamus scribæ, etc.* — Atque ita optime intelliguntur verba illa: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Nam sine dubio Deus inspiraverat Psalmistæ loquendi voluntatem, et libere volebat linguam movere, ad loquendum ea quæ Spiritus Sanctus dictaret, et ideo in ipsa locutione recte comparat linguam suam respectu Spiritus Sancti calamo scribentis, quia in illa locutione nihil suum agnoscebat, nisi motionem linguæ; nam verba et res dictabat Spiritus Sanctus, et ita utebatur illa lingua tanquam instrumento. Quod tandem potest non male explicari per verba Sapientis: *Homini est animam præparare, et Domini gubernare linguam,* si per illam animæ præparationem voluntatem loquendi intelligamus, quæ, quando est sancta, tribuatur homini, non quia non sit etiam ex inspiratione divina, sed quia per liberam determinationem habetur. Gubernare autem linguam non semper est in hominis potestate vel libertate, quia pendet ex imaginatione, et conceptione verborum, quæ non semper est in manu hominis, et multa occurrere possunt, homine etiam invito, quæ illam perturbent. Hæc autem necessitas altiori modo invenitur in locutione prophetica, et ideo altior directio et gubernatio linguæ est necessaria; tota vero

fit medio intellectu et phantasia sine novo usu libertatis, ut explicavi.

27. *Idem dicendum de scriptore canonico, quod de prophetica locutione dictum.* — Et quod dixi de prophetica locutione, eadem proportionem locum habet in scriptore canonico. Antecedit enim in illo libera scribendi voluntas ex divina inspiratione concepta, sine illa prædeterminatione physica, sicut de prophetis explicavi. In ipso vero actu scribendi, non erat necessaria nova motio voluntatis, sed sola specialis directio, ex parte intellectus, et phantasiæ ac memoriæ, tam rerum quam verborum, si necessaria esset. In hoc enim potest esse varietas, juxta materiam scripturæ et dispositionem antecedentem scriptoris. Interdum enim scriptor excitatur a Spiritu Sancto ad scribendum quæ alias vidit, vel novit, ut de se dicit Lucas capite primo Evangelii. Et tunc Spiritus Sanctus non omnino prævenit scriptoris mentem, sed ab illo vult etiam diligentiam adhiberi, ut ex 2 Machab. 2 colligimus, et totum id fit per liberam voluntatem scribentis, non determinatam physice, sed inspiratam, et motam congruenter a Spiritu Sancto. Ultra diligentiam vero et supra libertatem scriptoris, Spiritus Sanctus assistit menti ejus, dirigendo, et supplendo quod ipse scriptor sua diligentia non potest, vel non assequitur, vel removendo ne quidquam scribat aliter quam Spiritus Sanctus vult. Aliquando vero scriptor mere prophetice scribit quæ tunc actu ei revelantur, et a Spiritu Sancto dictantur, et omnino se gerit scriptor sicut amanuensis Spiritus Sancti, sicut Baruch scribebat verba quæ dictabat Jeremias, et ipse Jeremias (ut dicitur Jeremia 36) dictabat tanquam legens ex libro, utique ex libro mentis suæ, in qua Spiritus Sanctus ea scripserat. Et in utroque, tam Jeremia quam Baruch, voluntas scribendi, vel dictandi, et obediendi Deo hoc præcipienti, omnino libera erat, ex inspiratione divina, sine physica prædeterminatione; materia autem et verba Scripturæ erant omnino ab Spiritu Sancto sine interventu voluntatis humanæ. Quocirca, in toto opere scribendi, vel dictandi canonicam scripturam, nulla prædeterminatio physica voluntatis humanæ necessaria est: neque invenitur opus supernaturale pro quo sit necessaria, nisi ubi voluerit Deus humanæ voluntati absolutam inferre necessitatem.

CAPUT XXI.

QUID ADDAT AUXILIUM EFFICAX AUXILIO PRÆVENIENTI SUFFICIENTI, SEU VOCATIO EFFICAX GENERALI AC SUFFICIENTI VOCATIONI, ET AN PER CONGRUITATEM VOCATIONIS HOC SUFFICIENTER EXPLICETUR.

1. Diximus in cap. 5 auxilium efficax in vocatione aliqua speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiæ consistere, et in subsequenteribus declaravimus nullam esse excitationem quæ, ex sola sua intrinseca natura seu entitate, talis seu tam efficax sit; nec, præter vocationem, necessariam esse aliquam prædeterminationem ex parte Dei, quæ vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino talem modum efficacitatis exclusimus; tum quia repugnat sufficientiæ gratiæ, cui illa prædeterminatio non adjungitur ex parte Dei; tum etiam quia pugnat cum arbitrii libertate. Et ideo superest explicandum quid illud sit, quod vocatio efficax addit ultra sufficientem; nam cum vocatio sufficiens sit vera vocatio, et de se effectrix consensus, et nihilominus vocatio efficax ab illa distinguatur, necesse est ut ratio *efficacis* aliquid addat tali vocationi; quid ergo illud sit inquirimus. Quod certe obscurum est, nam ideo dixit Augustinus hanc vocationem efficacem, altam, et secretam, et profundæ considerationis esse; conandum nihilominus est id explicare, quod breviter per nonnullas assertiones faciemus; deinde, ad majorem declarationem et confirmationem nostræ sententiæ, nonnullis objectionibus satisfaciemus.

2. *Vocatio efficax non addit sufficienti novum auxilium præveniens, nec aliquam entitatem, vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, et distinguendum illud a sufficiente necessaria sit.* — Primum ergo asserimus vocationem efficacem non addere sufficienti novum auxilium præveniens, nec aliquam entitatem vel proprietatem realem absolutam, quæ ad constituendum auxilium efficax, et distinguendum illud a sufficiente, necessaria sit. In hac et sequentibus assertionibus abstinere nunc a probationibus, et ab auctoritate; quia de hac re sigillatim agendum est in capitibus sequentibus. Nunc solum assero saltem in eo esse hanc propositionem consentaneam Conciliis et Patribus, quod in illis non invenimus alia auxilia gratiæ prævenientis nostrum velle, et per